

6. **Epidendrum ionophlebium**: affine Epidendro radiato labello cordato rotundo apiculato, ligula postica interna linearis obtusata.

Pseudobulbus turbinatus diphyllus. Folia lineariligulata acuta pedalia usque dimidium pollicem lata. Pedunculus brevis validus pauciflorus racemosus. Bracteae triangulae. Sepala ligulata acuta. Tepala cuneato ovata acuta. Labellum cordato rotundum transversum cum apiculo. Tumor velutinus ligulatus obtusus in ima basi. Androclinii limbus tridentatus: dentes laterales subfalcati obtusi; dens posticus minor ligulatus retusus; dens antepositus lineariligulatus sublongior.

Ab affini Epidendro radiato Lindl., cui colore aequale distinguitur labelli limbo integro nec lobulato, apiculato nec obtuso; calli indole; ligula interna androclinii postica lineariligulata nec latoligulata apice fimbriata.

Costa Rica: Curidabad. 5. 1857.